This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

768zv
K89
c

YB 00629

Digitized by Google

GIFT OF
JANE K. SATHER



768 3v
K89
c

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTATIONIS

DE

M. TERENTI VARRONIS

ANTIQUITATUM
RERUM HUMANARUM ET DIVINARUM
LIBRIS XLI.

SPECIMEN.

QUOD UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
SUMMORUM IN PHILOSOPHIA
HONORUM OBTINENDORUM CAUSA

DIE XX. DEC. HORA X.

PUBLICE DEFENDET

LEOPOLDUS HENRICUS KRAHNERUS
LUSATUS
SEMINARII REG. PHILOL. ET SOCIETATIS HISTORICAE
SODALIS.

ADVERSARII ERUNT:

F. A. ECKSTEIN PHILOSOPHIAE DOCTOR.
L. BRAUNE PHILOLOGIAE CANDIDATUS.
R. GEIER SEM. REG. PHIL. ET PAED. ITEMQUE SOCIETATIS HISTORICAE SODALIS.

HALIS
FORMIS EXPRESSUM PLOETZIANIS.
A. MDCCCXXXIV.

Digitized by Google

Latin - Satner

Digitized by Google

Commentationis propediem, si Deus voluerit, usui publico tradendae, cuius nunc quidem exiguam tantum particulam proponimus, eum tenendum est esse ordinem ac rationem, ut postquam Romani qui ante Varronem vixerunt quid profecerint in antiquitatibus docuimus, Varronis investigemus quale fuerit ingenium, et quas res potissimum et cur sibi elegerit ad scribendum. Quibus peractis, tum de libris ipsis Antiquitatum commentati sumus, tum fragmenta composuimus aucta illa magnum in numerum et emendata. Hoc autem specimen qualecunque lecturos, si multa fortasse desideraverint quae non

569557

Digitized by Google

consilio omiserimus, sed quae nobis pro eo quem nunc tenemus doctrinae gradum invenire non licuerit, eos ut meminerint rogamus, „rem esse arduam vetustis novitatem dare, dubiis fidem“, quam nos cum anniteremur in perditis libris Varronis viam ingressos esse minus tritam, et ab viris doctis diu derelictam.

Scripsi Halis d. XIII. Dec. A. MDCCCXXXIV.

Digitized by Google

UNIV. OF CALIFORNIA

MARCI TERENTI VARRONIS

Antiquitatum rerum humanarum et divinarum libri XLI.

Ex iis quae in prooemio scripsimus intelligitur, floruisse studium antiquitatum apud Romanos, assiduos fuisse viros tum otiosos tum foro atque republica occupatos in vita et moribus maiorum cognoscendis et imitandis, insignes fuisse multos inde a Cincio usque ad Varronem doctrinae copia et varietate. Sed habesne, quaeso, quem cum Varrone recte comparaveris? deprehendisne in splendida illa virorum doctissimorum et diligentissimorum serie quem antiquitates, quas Varro vocavit quasque nos Varronem secuti vocamus, litteris persecutum esse iure dixeris? Omnes enim qui ante Varronem vixerunt, et quibus id studium erat, singulis in rebus separatim elaborarunt; universas artes vinculis eiusdem doctrinae comprehendere alienum fuit ab illis scriptoribus. Itaque hi, singulari opera posita sive in iure sacro perscrutando sive in re militari explicanda sive in historia et chronologia enarranda, fila tantum duxisse censendi sunt, quibus Varro usus sit in opere suo contexendo, et rudimenta potius antiquitatum quam antiquitates ipsas scripsisse. Composuit autem Varro praeter Antiquitatum libros XLI., quorum imaginem iam sumus propositurí, singulares libros multos de rebus ex antiquitatibus petitis, quas aut ampliore descriptione dignas ipse censuit esse, aut occasio quaepiam scribere admonuit, de quibus libris idoneis quibusque locis dicemus.

Digitized by Google

Ordo autem erit huius disputationis is, ut primo loco ponamus quae de omnibus simul dicenda sint, deinde vero quae de singulis totius operis partibus nobis innotuerint persequamur, denique quae ad historiam horum librorum pertineant addamus.

Librum quemcunque scriptoris cuiuspiam veteris cognoscere volentium cum imprimis multum interesse oporteat scire, quod consilium secutus is librum confecerit, tum Varronem ante omnia monendum est libros Antiquitatum non scripsisse *doctis* sed *civibus;* idque eum fecisse non delectandi causa, sed longe laudabiliore permotum studio. Scio quidem fore ut pauci iudicio nostro calculum adiiciant: legi enim saepenumero et audivi multos homines cum dicerent, nihil esse in Varrone praeter ingentem doctrinae copiam, scripsisse eum Antiquitatum libros, ne scrinia deessent, in quibus immensam doctrinae molem reponeret, videri eum lacum esse vel stagnum, quo multa confluxissent vera immixtis falsis, idonea ineptis, profundum illud quidem sed putidum. Sed haec et his similia ut de Antonio Gniphone et Aelio Stilone aliisque grammaticis, qui vivo Varrone et post vixerunt, recte dicta sint, nullo modo cadunt in Varronem. Is enim cum optimis quibusque civibus cum intellexisset, unam spem salutis reliquam reipublicae Romanae restare eam, ut mores antiqui revocarentur, et instituta maiorum, pietatis et virtutis antiquae exempla restituerentur, tantum abest ut libros scripserit in quibus doctrinam docti mirarentur, *ut libris XLI. Antiquitatum totius vitae Romanae tradiderit disciplinam*, et demonstraverit, quomodo in civitate Romana institutiones quaeque antiquitus fuissent conditae, quo reipublicae commodo retinerentur. Hoc vinculo separata antea studia et propter id ipsum minus utilia coniunxit, et collectam ex pluribus artibus et studiis disciplinam antiquitatum non solum fundavit, sed ita exornavit et absolvit, ut nihil desiderarent qui postea iisdem se dederunt studiis; idem autem et conditor artis recte haberetur et perfector [1]).

1) Fuerunt multi post Varronem qui vitam consumpserunt in antiquitatibus scribendis, sed cum Varrone illi neutiquam

Digitized by Google

Itaque eodem opere explicavit historiam, geographiam, chronologiam, eodem descripsit res belli ac pacis, eodem sacra publica et privata, auguria et oracula; atque omnium rerum descriptarum subtexuit causas et rationes [2]). Magnificum profecto opus! Non solum propterea quod magnum est excelluisse in iis omnibus simul quae per sese sunt satis magna et difficilia ad perdiscendum, sed hoc etiam singulari laude dignum videtur esse, quod delectis iis rebus ad scribendum, quas scire prae reliquis Romanorum intererat, opus perfecit, cui par nihil sit in litteris Romanis, in Graecia ne simile quidem inveniatur. Neque tamen hoc praeter expectationem accidit. Tempora enim ipsa quibus Varro vixit haud scio an opportunitatem dederint libris Antiquitatum scribendis. Senescebat enim tunc insignis ille vigor ac natura Romanorum, cum prisca virtus, probitas, pietas, fides dudum evanuissent. Itaque Romani deminuta fortitudine, expulsa religione, adscita turpi superstitione, ipsi ne ruinae imminentis

---

comparandi. Varronem enim amor patriae admonebat, ut *vitae* scriberet et *reipublicae*, illos studium impellebat, ut *arti* scriberent et *scholae*. Emortua enim republica nihil antiquitates ad vitam.

2) In omnibus fere libris sic versatum esse videmus Varronem ut rerum historiae fide descriptarum adderet causas, id est adhibita philosophia rerum vim ac naturam monstraret, et depulso errore rectum usum doceret. Eius rei praeter libros de Lingua Latina compositos, in quibus ipse fatetur se non solum ad Aristophanis lucernam, sed etiam Cleanthis lucubrasse, testimonio sunt libri et de Re Rustica scripti (vid. Scaliger in Scaligeran. I. pag. 146.) et Antiquitatum rerum divinarum, de quibus vide quae infra posuimus. Atque convenit hoc Varroni: quippe qui fuerit eius naturae atque indolis, ut recte annumerandus sit perfectis viris iis quos Aristoteles vocavit *τοὺς δυναμένους μῖξαι τὸ θεωρητικὸν εἶναι τῶν ὄντων καὶ πρακτικὸν τῶν δεόντων*. Haec enim norma fuisse videtur ad quam totam vitam exigeret, quam sic degit, ut regulae vivendi quam ipse posuit: „vitam actuosam coniungendam esse cum otiosa,“ non suasor solum sed actor habendus sit; eandem legem in rebus quas litteris mandaret eligendis secutus, eandem in disserendo, eandem denique in elocutione.

Digitized by Google

fierent actores vehementer verendum erat. In tali civitate quid, quaeso, dignius erat, quid aptius ad scribendum, et reipublicae saluti magis accommodatum, quam repetere memoriam rerum praeclare gestarum et laute institutarum, docere unde natus populus Romanus cur creverit quibusve virtutibus, emendare mores, revocare pietatem, omnino vitam moresque maiorum describendo aperire causas magnitudinis et salutis sempiternae [3]). Quod et voluisse Varronem et effecisse non solum testimonia scriptorum veterum docent, sed etiam ratio totius operis, imprimisque Antiquitatum rerum divinarum libri. Nam de divina deorum quos coli pontifices insserant natura, postquam, Ennio potissimum auctore, dubitari coeptum est, et graecanica illa ratio invaluit, qua mundus non tam numinibus atque vi deorum regi et gubernari putabatur, quam naturae legibus teneri, *Q. Mucius Scaevola* Pont. M. ne quid inde religio atque res publica, cuius salus in sola religione posita esset, detrimenti caperet ea ratione cavit, ut, diis tripartito divisis [4]), nihil ad civitatem pertinere diceret neque explicationes physicas philosophorum neque fabularum interpretationes historicas. Verumtamen etsi apud Romanos maiestas reipublicae erat summa et institutorum publicorum auctoritas tanta, ut religionis *civilis* honori singulorum hominum dubitationibus nihil detraheretur, et *religiosissimus* et esset et haberetur, qui deos — sive veros credidit sive commenticios — iis quibus praescriptum erat precibus et caerimoniis colebat, tamen non est quod miremur, sene-

3) Cic. de Divinat. II. 2. „Quod enim munus reipublicae offerre maius meliusve possumus, quam si docemus et erudimus iuventutem? his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda atque coercenda sit.“

4) August. de Civit. Dei IV, 27. Triplicem illam theologiam Scaevola non tam invenit, quam inventam a Stoicis et diffusam per omnem antiquitatem, primus adhibuit. vid. Auctor de Placit. Philos. I, 6. quem locum cum aliis affert Lobeckius in Aglaoph. p. 139. cf. Falster. Quaestt. Rom. III, 1. De triplici theologia veterum praeterea extat dissertatio Meinersii et Villoisoni in libro quem Sainte-Croix de secretis religionibus veterum scripsit.

Digitized by Google

scente admirabili illa vi, quae erat in Romanis, religionem civilem, cum veritate esset aliena, abiectam, et animos hominum anili superstitione et errore occupatos fuisse.

Hunc enim in statum ut religio Varronis temporibus prolaberetur praeterea multum valuerunt religiones ab exteris gentibus Romam arcessitae, quibus eo minus Romani portas templaque praecluserunt, quo certius illae secreto nefandorum et sanctissimorum deorum cultu desideria quibus a Capitolio frustra praesidium quaereretur solaturae esse viderentur. Hinc igitur patriorum deorum magna negligentia, preces aut nullae aut supersitiosae, caerimoniae pontificum, ritus, formulae, longae obliviones. Quae res haud scio an maxima reipublicae damna affere debuerit. Itaque cum optimis quibusque civibus Varro et intellexit magno in discrimine esse rempublicam, et omnem curam et operam in eo posuit, ut revocanda pietate suis consuleret: *atque huius voluntatis praeclaros testes reliquit XVI. libros Antiquitatum rerum divinarum.* Satis idoneum huius rei testem afferre iuvat Augustinum de Civit. Dei VI, 5, 2. ubi haec leguntur: „Cum vero deos eosdem ita coluerit (Varro) colendosque censuerit, ut in eo ipso opere litterarum suarum dicat, se timere, ne pereant non incursu hostili, sed civium negligentia, de qua illos velut ruina liberari a se dicit, et in memoriam bonorum per huiusmodi libros recondi atque servari, utiliore cura, quam Metellus de incendio sacra Vestalia, et Aeneas de Troiano excidio penates liberasse praedicantur.“ Et, ut alia ommittam, apud eundem l. c. IV, 31. „eum ad finem scribere se illa (de deorum natura) dicit (Varro) ac perscrutari, ut deos magis colere quam despicere velit vulgus.“ Neque solum negligentiam civium in patriis diis colendis impugnandam esse arbitrabatur, sed etiam novorum deorum sacra coercenda, id quod a Servio edocemur ad Virg. Aen. VIII, 698. „Varro dedignatur Alexandrinos deos Romae coli.“ Quibus verbis haud scio an Servius locum Varronis eundem exscripserit, quem ante oculos habuerit Graecus scriptor nescio quis apud Suidam v. *Ἐγκατέσκηψαν. τὰ Αἰγυπτίων κακὰ τὰ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ πόλει ἐγκατέσκηψε καὶ τῇ Ῥώμῃ. Οὐάῤῥων.*

Digitized by Google

Itaque Varro, si revocare voluit pristinam pietatem, qua Romani omnium rerum et publicarum et privatarum auctores et adiutores deos sibi esse putabant, nec quidquam antiquius haberi ab iis, quam adesse laborum auxilia petentibus, et praemia decernere fortitudinis et diligentiae [5]), nonne id potissimum agere debuit, ut everteret sententiam eorum, qui deos publice privatimque colendos nullos esse arbitrarentur, immo Iovem, Saturnum, Ianum, Tellurem, Cererem, Dianam, omnes reliquos aut inania sacerdotum commenta haberent aut poetarum fabulas? Neque aliter rem instituit. Demonstravit enim esse in omnibus diis quos respublica instituisset aliquid aut divinae naturae, aut quod venerationem iure meritoque postularet. Cum vero pietatis, qua, unumquemque civem Romanum esse oporteret, non solum esset *deos colere*, sed hoc imprimis multum interesset ad religionem, *deos iis colere precibus*, *templis*, *caerimoniis*, *quibus institutum erat*, alteram operae partem in eo consumpsit, ut quid sacerdotes scripsissent de diis publicis et privatis, et quid consuetudo maiorum attulisset, enarraret. [6]) Atque his apponam verba Ciceronis, qui quod consilium Varro secutus sit in scri-

5) Horat. C. III, 6. August. de Civ. D. IV, 7. Tertull. ad Nat. II, 17. Varro de Re Rust. I. init. „et quoniam ut aiunt *dii facientes adiuvant*.“ Cf. Muretus ad Tibull. I, 1. Opp. T. IV. et Rost. de Theolog. Plaut. p. 12. Appulei. II. p. 205. Oudend. „Deus nullius mali auctor.“ Vid. Varro ap. August. l. c. VI, 9. Plautus: „deus amicus hominibus.“ Cf. Rost. l. c. p. 7. Cuper. Observatt. I, 14. August. l. c. I, 17.

6) Apparet inter id quod Scaevola pontifex fecit, et quod Varro, summum intercedere discrimen, atque praeter voluntatem, quae in utroque optima fuerit, hos viros commune habere nihil. A Scaevola enim temporibus illis satisfactum est *mera segregatione deorum*, qua obesse dixit *civibus*, scire quales essent *dii philosophorum*, quales *poetarum*. Varro autem, usus artificio, arctissime *coniunxit*, quae Scaevola secreverat, ita ut religionem civilem efficeret, quam adhibita philosophia non everteret, sed fulciret, et admissis poetarum fabulis non inquinaret, sed exornaret. Quae si Lobeckius perspexisset, non in errorem incidisset eum, ut Varronem diceret, Scaevolam pontificem secutum, populo committi noluisse genus theologiae philosophicum. Vid. Agloaph. p. 138.

Digitized by Google

bendis libris Antiquitatum descripsit in Acad. lib. I. c. 3. verbis satis perspicuis his: „Nam nos in nostra urbe peregrinantes errantesque, *tamquam hospites tui libri quasi domum reduxerunt*[7]), ut possemus aliquando qui et ubi essemus agnoscere. Tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu sedium[8]), regionum, locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti, plurimumque poetis nostris, omninoque latinis et litteris luminis et verbis attulisti."

Voluntatis huius, quam modo diximus, quamquam negari non potest omnes omnino libros Varronis praeferre notam, ut nisi quae ad vitam et usum spectarent scripsisse nil videatur, tamen non alienum est a nostro consilio, priusquam de Antiquitatum libris ea tradantur, quae in promptu sunt, nonnullorum certe librorum exemplis uti, quibus sententia a nobis proposita confirmetur. Et primum quidem haud scio an recte huc referam magnum opus, cui inscripsit *Ἑβδομάδες* sive Imaginum libros[9]), ut quibus laudes clarorum virorum scripserit. Quod litterarum genus apud Romanos qui excoluerint, docet Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesist. prooem. verbis usus his: „Fecerunt idem (scribere de viris illustribus) Hermippus — — —, apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, Hyginus, Tranquillus." Neque enim ab veritate aberrare mihi videntur, qui Varronem inter viros illos ab Hieronymo nominatum esse dixerunt propter Imaginum libros, quamquam paulo aliter de ea re statuere videtur Ionsius de Scriptt. Hist. Philos. I, 14, 3. Sed hoc ipsum

7) *Reduxerunt* cum codd. Augustinus et Isidor., male alii *deduxerunt*.

8) Vulg. *sedem*. *sedium* Augustinus, Isidor. et Ioann. Sarisberiensis, ut annotavit Goerenz. in praefat. p. IX. cf. Cicero de Nat. Deor. I, 1. et 37.

9) Ed. Bipont. p. 255. vid. Burmannus in Antholog. Lat. T. I. p. 409. et Schneiderus de Vit. et Scriptt. Varronis p. 224. Ceterum Graeci tituli apud Varronem sine ulla dubitatione Graecis litteris sunt exarandi; de qua lege, quatenus ad alios scriptores Latinos valeat, adeundus Weichertus de Laevio poeta p. 46.

Digitized by Google

Hieronymi testimonium gravioris erroris causa videtur fuisse. Falsterus enim Quaestt. Rom. II, 4, 2, et Wouwer. de Polymath. c. 12. et Reimannus, quem iam Ernestius notavit in annotationibus ad Fabricii Biblioth. Lat. in Varrone, eam protulerunt sententiam, ut ex genere genealogico hos libros fuisse contenderent. Atque hoc profecto male contenderunt; meliora enim Bernhardy docuit in libro quem de Hist. Litt. Rom. scripsit not. 476. Symmachum secutus auctorem, cuius verba in Epp. I, 4. sunt haec: „Studium tu quidem Menippei Varronis imitaris, sed vincis ingenium. Nam quae in nostrates (*vestrates* Mercer. ad Nonium p. 745.) viros nunc condis epigrammata, puto Ἑβδομάδων elogiis praenitere, quod haec aeque sobria, nec tamen casca sunt, illa bono metallo cusa torno exigi nescierunt; et duriorem ni fallor materiem anniteris. Ille Pythagoram — ille Platonem — ille Aristotelem — ille Curium, ille severos Catones, gentem Fabiam, decora Scipionum, totumque illum triumphalem senatum parca laude perstrinxit.“ Quibus statim apponenda sunt quae Plinius tradit in Nat. Hist. lib. XXXV. c. 2. „Imaginum amore flagrasse quosdam testes sunt et Atticus — et Varro benignissimo invento, insertis voluminum suorum fecunditati non nominibus tantum septingentorum illustrium, sed et *aliquo modo imaginibus;* non passus intercidere figuras, aut vetustatem aevi contra homines valere, inventor muneris etiam diis invidiosi, quando immortalitatem non solum dedit, verum etiam in omnes terras misit, ut praesentes esse ubique et claudi (leg. *collaudari*) possent.“[10]) Quibus propositis vix est quod moneamus, Varronem hoc satis amplum opus dedisse laudationibus virorum tum bello clarorum tum pace, tum poesi tum philosophia, et nescio quibus aliis artibus ac studiis, nimirum ut cives, propositis clarorum virorum laudationibus, in admirationem et imitationem pelliceret rerum praeclare gestarum. Septem architectorum elogia in decimo libro eum posuisse testis est Ausonius.[11]) Fortasse etiam in Statii versu Silv.

10) Ex his Plinii verbis quam futilia qui excogitaverint vide in Harlesii Notit. Brev. Litt. Rom. p. 69.

11) Mosella v. 306. „Forsan et insignes hominum operumque la-

Digitized by Google

II, 2, 49. horum librorum inest significatio vid. Barthius ad l. c. Egit autem Varro rem suam sic, ut postquam statuam viri alicuius, quam oculis videbat, descripsit, epigrammata adiiceret, quo virtutes viri, quem descripsit, laudarentur. Plinius: „insertis quodammodo imaginibus.“ Symmachus Epp. I, 2. „adiectione epigrammatum hebdomadon libros condidit.“ Laurentius Lydus de Magistr. p. 74. Ἐν γὰρ ταῖς Εἰκόσι Τερέντιος ὁ ἐπίκλην Βάῤῥων — Αἰνεῖαν οὕτως ἐσταλμένον εἰς Ἰταλίαν ἐλθεῖν ἀνεγράψατο, ἰδὼν αὐτοῦ τὴν εἰκόνα, ὡς εἶπεν, ἐκ λίθου λευκοῦ ἐξεσμένην. — Septem imagines singulis libris comprehendisse videtur, unde Ἑβδομάδες eos vocari iussit, cuius distributionis causam aliam video nullam, quam ut delectationis causa docto uteretur artificio; rationem huius rei in primo libro reddidit, ex quo aliqua servavit Gellius Noctt. Att. III, 10. et Favorinus Eulogius in Somn. Scip. p. 401. ed Or., quem C. Barthius in Advers. VI, 6. ex libro quem Varro de arithmetica composuit sua hausisse male contendit. Epigrammata duo, quae ex tanta multitudine reliqua sunt, habentur in Burmanni Anth. Lat. T. I. p. 409. et p. 198.

Libris imaginum non dubito subiicere libros IV. de Vita Populi Romani (Ed Bip. p. 236. sq.) quippe hi similitudinis aliquo vinculo cum Antiquitatum libris coniuncti non alium in finem compositi sunt, nisi ut descripta vita maiorum ostenderetur, quantum Romani Varronis aequales a prisca consuetudine recessissent. Sic iudicantibus viris doctis, ut A. Maio in praefat. ad Cic. de Republ. libenter accedimus. Sunt enim in fragmentis huius studii satis certa vestigia, ut quod apud Nonium est v. *distrahere* p. 287. ed Mercer. et v. *abstemius* p. 68. et v. *paupertas* p. 43. alia. Sed natus hinc est error J. Gebhardi in Antiqq. lectt. II, 18. (Schmink. Syntagm. p. 617.) qui, cum vitam maiorum his libris describi intellexisset, veram horum librorum inscriptionem servari sibi persua-

---

bores Hic habuit decimo celebrata volumine Marci Hebdomas —“. Quibus in versibus Scaligerum nomen Terenti agnoscere nolentem (vid. Lectt. Auson. I, 4) notavit Salmasius Exercitt. Plin. p. 575. B.

Digitized by Google

sit in libro MS. Nonii Palatino, qui ubique Varronis libros *de vita patrum* exhiberet. Non est quod multis verbis defungamur in errore refutando, cuius origo in aperto sit.[12]) Verissimus est enim titulus *de Vita Populi Romani*, quem Varro ut quamplurimos ex Graecia arcessivit, Dicaearchum imitatus. vid. Naekius in Mus. Rhen. a. 1832. T. I. p. 46. — Quattuor fuisse libros neque plures, quod vel Scaliger credidit (in Ling. Lat. p. 28.) pravis Nonii deceptus libris, Hieronymus docet Epist. ad Paulum XXIX. (T. IV. P. II.). eosque post annum 705. T. Tomponio Attico missos Schneiderus l. c. p. 234. Ceterum fragmenta suis quaeque libris reddere, cum Nonii commentariis debeantur fere omnia, nunc quidem mittendum est, usque dum certiora ex illo scriptore depromere licebit. Accedit quod huius operis reliquiae non solum inter sese disiectae sunt et confusa, sed similitudo tituli librorum *de Gente Populi Romani* causa fuit aliarum turbarum. Sic quae Servius narrat ad Aen. VII, 176. „Maiores nostri sedentes epulabantur —, ut Varro docet in libris de Gente Pop. Rom., in quibus dixit quid a quaque traxerint gente per imitationem," — teste Isidoro (Origg. XX, 11. p. 1223. Goth.) ad Vitam Pop. Romani pertinent. Neque erat idoneus locus his rebus in libb. de Gente Pop. Romani, qui, ut mox dicemus, ad solam chronologiam videntur spectasse. Eodem modo emendandus est idem Servius ad Aen. IX, 603. ubi prave haec scripta sunt: „Italiae disciplina et vita — quam et Cato in Originibus et Varro in *Gente Pop. Rom.* commemorat." legendum enim sine ulla dubitatione: *in Vita Pop. Rom.* Praeterea Pompeius Gramm. in Commento artis Donati p. 27. et 9. ed. Lind. libros ab Varrone Attico missos (sic Ruhnkenius, vulg. *Actium* et *Attium*) commemorat, de qua re infra dicemus.

Studii quod Varro posuit in emendandis moribus Romanorum, antiquitatis scientiae ope, unum certe addam insigne exemplum. dico librum logistoricum qui inscriptus

12) Vet. Interp. Virg. in Eclog. VI, 33. „Varro *de vita* $\overline{PR}$ *lib. I.*" *de vita* $p\bar{r}$. Cod. Guelf. *de vita patrum* ubique etiam Ed. Parmensis a. 1480. repraesentat.

Digitized by Google

fuit (*Catus*[13]) *de libris educandis.* Egit enim hoc libro id, ut educatio puerorum qualis olim fuisset indicaret, et addita comparatione suae aetatis, corruptos aequalium mores notaret. Persecutus igitur est hominem inde a primis initiis usque ad puerilem aetatem, et docuit quae, qua ratione, et quorum numinum auxilio peragenda sint in liberis educandis. Fragmenta vide in Ed. Bip. p. 318. sqq.

Sed ut eo revertamur unde defleximus, libros quibus totam vitam maiorum et consuetudinem enarravit apto sed novo titulo vocavit *Antiquitates.* Vid. F. A. Wolfius in Mus. Stud. Antiqu. T. I. p. 54. Omnia autem quae sunt in vita cum sint bipartita, aut enim ad res divinas spectant aut ad humanas, priores XXV. libros scripsit de rebus humanis, XVI. posteriores de rebus divinis, integram autem totius operis inscriptionem posuit hanc: *Antiquitatum rerum humanarum et divinarum libri XLI.* Quem titulum ut raro scriptores veteres sic uti eum scripsimus efferrent, factum est more illo satis noto, quo libros afferendos significare solent non tam additis integris titulis et numeris, quam breviter indicato argumento libri, aut eius parte, quam intelligi volunt. Velut Gellius loquitur de libro Humanarum „qui fuit de diebus" et de alio eiusdem operis „qui fuit de bello et pace." Dionysius libros Rerum divinarum θεολογικὴν πραγματείαν vocavit. Plinius Varronem aliquid narrare dicit „in prodigiosa virium relatione." Quid quod Vetus Interp. Virgilii ad Aen. II, 717. librum II. Rerum humanarum nominavit *Historiarum* II. nimirum propter argumenti naturam, ut nihil opus sit coniectura Niebuhrii, qui Hist. Rom. T. I. p. 213. *Humanarum* II. scribi iussit, minime vero omnium laudandum sit quod A. Lion proposuit *Annalium* II. Significari enim ab annota-

13) *Catus* scripsimus maiorem librorum auctoritatem secuti. vid. Harduinus ad Plin. N. H. VII, 31. et quae Maiansii diligentia congessit in Vitt. XXX. Ictorum T. I. p. 67. et T. II. p. 59. Alii *Catonis* nomine insignem hunc librum fuisse contendunt, quod Cato, Macrobio teste in Sat. III, 8. librum scripserit de liberis educandis. Quae sententia dubito an vitio nitatur Macrobii verbis inhaerenti, quod sic sustuleris: „Meminit huius arae et Varro Cato de libris educandis." vulg. *Varro* om-

Digitized by Google

tionis illius auctore librum secundum Rerum humanarum, aperte docet Servius ad Virg. Aen. II, 636. At decepit eum Charisius, qui p. 87. ed. Putsch. Varronem tradit Annali III. narrare, numum argenteum primum conflatum esse a Servio Tullio, quo quidem loco haud scio an sic uti possimus, ut hoc quoque exemplo probari dicamus, quanta fuerit scriptorum veterum varietas in nominandis his libris. Neque enim ego dubito quin Varronis Annalis III. idem sit liber atque Humanarum III. Nam quis vel fando aliquid accepit de Varrone Annalium scriptore? neque tanti viri Annales deposuisset Dionysius aliique historiarum auctores. Fortasse hac ipse causa permotus est Heynius, ut in Commentationibus Antiquariis libros antiquitatum vocavit Annales rerum humanarum et divinarum.

Varro antiquitates populi Romani scripturus opus suum sic confecit, ut rebus tum humanis tum divinis quadrifariam divisis, primum doceret *qui* essent ii quorum res esset persecuturus. Cum autem omnia quae fiunt tempore aliquo et in aliquo loco fiant, et *descriptiones locorum* adiecit, et *rationes temporum* explicavit. Ultimo loco *res ipsas* enarravit. Fuerunt igitur utriusque operis quaternae partes, quarum prima erat *de hominibus*, secunda *de locis*, tertia *de temporibus*, quarta *de rebus*. Quae materiam digerendi ratio non tam propria est Varroni, quam communis ei cum rerum Romanarum scriptoribus antiquioribus, quos Cicero dicit de Orat. II, 12. Graecorum similitudinem scribendi secutos sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquisse. Non habes hodie praeter Varronem, quem etiam in libris de Lingua Latina eadem ratione res tractandas dispertiisse constat, quem in exemplum huius rei afferre possis. Sed sufficiens est haec ratio atque conveniens Varroni, subtili iudicio semper versato in externis rerum discriminibus investigandis.

Digitized by Google

Antiquitatum rerum humanarum libri XXV.

Distribuisse Varronem Antiquitates in libros Humanarum et Divinarum si minus aliunde certe ex Augustino constat, qui de C. D. IV, 1. haec habet: „— ita ut vir doctissimus Varro et gravissimae auctoritatis, cum Rerum humanarum atque divinarum dispertitos faceret libros, alios humanis, alios divinis pro sua cuiusque rei dignitate distribuens —“. atque de ordine quo res in Humanarum libris tractandas proposuerit idem l. c. VI, 3. „Varro, inquit, quadraginta et unum scripsit libros Antiquitatum, hos in res humanas divinasque divisit, rebus humanis viginti quinque, divinis sedecim tribuit, istam secutus in ea partitione rationem, ut rerum humanarum libros senos quattuor partibus daret. Intendit enim *qui* agant, *ubi* agant, *quando* agant, *quid* agant. In sex itaque primis de hominibus scripsit, in secundis sex de locis, sex tertios de temporibus fecit, sex quartos eosdemque postremos de rebus absolvit; quater autem seni viginti et quattuor fiunt; sed unum singularem qui communiter prius de omnibus loqueretur in capite posuit.“ cf. Varro ap. Nonium v. *quadrifariam* p. 92. Hinc statim restituendus est ordo librorum, quem Riccobonus et Popma, et qui illos secuti sunt, nescio quo errore lapsi, immutarunt. Nam secundum Augustinum liber is, quem de diebus fuisse Gellius et ex hoc Macrobius testantur, non fuit XIII. sed unus ex numero eorum, qui fuerunt de temporibus, inde a XIV. usque ad XIX. Atque, quod eadem computatione nititur, liber qui, ut Gellius dixit, de bello et pace scriptus est, non est XIX. sed sex postremorum unus. Neque enim verum est, quod in Ed. Bipont. p. 208. et 212. annotatum est, Macrobium librum de Diebus XIII. appellasse, Gellium librum de Bello et Pace XIX. numeros enim librorum neuter apposuit.

Prooemii igitur loco singularem librum posuit, quo de omnibus communiter loqueretur, ut Augustinus ait, et in quo philosophiam eum attigisse Cicero testis est, is enim Acad. I, 2. Varronem loquentem facit haec: „Et tamen in illis

Digitized by Google

veteribus nostris — multa admixta ex intima philosophia — quae quo facilius minus docti intelligerent, iucunditate quadam ad legendum invitati —* in laudationibus, in his ipsis Antiquitatum prooemiis .... philosophiae scribere voluimus, si modo consecuti sumus."[14]) At quemnam philosophiae locum? quid est illud quo totum librum exornavit? Haec quaerenti vereor ne unquam satisfieri possit, sed quae a probabilitate haud longe recedere videantur non celabo. Constat enim ex Plinio et Prisciano Varronem in hoc libro disputasse de admirabili vi ac natura Psyllorum et serpentigenarum, exitiali illa serpentibus. Quid, si contendam haec lecta fuisse in libri cuiusdam parte ea, quam Plinius et Solinus vocant: „*prodigiosam virium relationem.*" Plin. N. H. VII, 19. „Corpore vesco sed eximiis viribus Tritannum in gladiatorio ludo — celebrem, filiumque eius et rectos et transversos toto corpore cancellatim habuisse nervos, — Varro auctor est in prodigiosa virium relatione." Solin. c. 4. „Varro in relatione prodigiosa fortitudinis annotavit, Tritannum — —".[15]) In qua virium relatione prodigiosa non dubium est quin ea quoque fuerint, quae Plinius non ita longe ab hoc loco quem modo ascripsimus posuit: „M. Varro Rusticellus, inquit, Hercules appellatus mulum suum tol-

14) De hoc loco difficillimo quod mihi ne nunc quidem, iterumque renovatis curis, iudicium paratum est certum, vehementer me angit et sollicitat. Itaque melius esse duxi, praeeunte Casaubono in libro de Satyrica Poesi II. c. 2. vitii signa apposuisse, quam futilium coniecturarum numerum, quas viri docti ad haec verba emendanda excogitarunt, auxisse: praesertim cum quae lateat sententia ex iis quae Cicero ad haec respondet facili coniectura assequaris. Est autem hic locus disturbatior quam qui Goerenzii „quaeque quo" sanari possit. Fortasse idonea transpositione facta aliquid effeceris. Deinde „philosophiae" sive dativum esse putas, sive genitivum, quod Klotzio placuit in Jahni Annall. Vol. VIII. Fasc. I. tortuosissimos explicatus habet. Cui noli „philosophice" substituere, quod Orellio et aliis quibusdam placuisse miramur.

15) De Tritanno vid. praeter eos quos Intrpp. attulerunt Clemens Alex. excitatus ille iam a Parrhasio in Syllog. Epp. IV, 60. in I. Gruteri Lamp. T. I.

Digitized by Google

lebat Fusius." Ex quo quidem loco nescio an aliquam lucem afferre possimus verbis satis obscuris Servii ad Virg. Aen. VIII, 561. ubi haec leguntur: „Sane sicut Varro dicit, omnes qui fortiter fecerant Hercules vocabantur. *Licet eos primo XLIII. enumeraverit*," quae sic ut ea scripsimus repetit Mythogr. Mai. III, p. 239. Bod. (p. 274. Mai.) At quid sibi vult „primo XLIII." aut „primo in XLIII." quod duo libb. Mss. praebent Bodii? Si Plinius illa ex libro primo Humanarum hausit, non video quid impediat, quominus etiam haec Servii ex eodem fonte manasse arbitremur, et verbis „licet eos in primo XLI. enumeraverit" librum primum XLI. librorum Antiquitatum significari. Prodigiosae fortitudinis exempla ex Varrone multa servata sunt (Ed. Bip. p. 352. sq.), quae equidem non tam suspicor quam persuasum habeo Varronem in prooemio Antiquitatum rerum humanarum proposuisse. Hac enim probata opinione intelligitur qui factum sit, ut in libris Antiquitatum, quos „non quantum ad orbem terrarum, sed quantum ad solam Italiam pertinet" (August. de C. D. IV, 4, 2.) scripserit, de Psyllis egerit. Etenim non tantum prodigiosae fortitudinis Varronem in hoc libro exempla contulisse, sed partem hanc fuisse amplioris disputationis *de natura atque vi corporis humani* institutae admodum probabilis est coniectura. De hac enim re in prooemio Antiquitatum humanarum agere quam aptum fuerit, colligitur ex eo, quod Varro in prooemio Antiquitatum divinarum subtiliter ac fuse disputavit *de animae humanae natura immortali.*[16]) Quibus accedit argumentum haud leve hoc, quod fragmentis quae annotavimus aptiorem in tot libris locum invenias nullum. Unus enim liber cui haec convenire videantur, est *Gallus Fundanius de Admirandis* (Ed. Bip. p. 253. sq.) quo, titulum ab Aristotele mutuatus (vid. Jonsius de Scriptt. Hist. Philos. II, 12, 2. et Wouwer. Polymath. c. 11.), admirabilem naturam investigaverit stagnorum (Nonius v. *puteus* p. 916.), fontium, locorum quorundam, et nescio quot alia-

16) Serv. ad Virg. Aen. VI, 703. „de qua re (de Platonis dogmate περὶ ψυχῆς) etiam Varro in primo Divinarum planissime tractavit." cf. Varro ap. August. de C. D. VII, 17.

Digitized by Google

rum rerum. Sed seria quaestio de natura corporis humani instituta vix ibi locum habuit.

De hominibus. Lib. II. — VII.

Hi libri toti fuerunt historici argumenti. Demonstraturus enim Varro, *qui essent* Romani (— „ut possemns aliquando qui essemus agnoscere" — Cic.), antiquissimarum rerum Italicarum historiam persecutus est, inde ab Aeneae, penates secum afferentis, adventu in Italiam. Magna diligentia in Aeneae itinere describendo versatus est [17]), cui librum secundum dedit, vid. Servius ad Aen. II, 636. coll. Interp. Vet. ad Aen. II, 717. Penates autem contendit Dardanum (cf. Serv. ad Aen. III, 167.) ex Samothracia in Phrygiam, ex Phrygia Aeneam in Italiam transtulisse Serv. ad Aen. III, 148. [18]) Quamquam Penates qui fuerint, Macrobio teste, in hoc libro non quaesivit. Videtur autem Servius totum hunc librum in commentarios suos transtulisse. veluti quae ex Varrone narrat de Ulixe et Palamede ad Aen. II, 81: de Aenea Delum insulam adventante ad III, 85. et Cyprum ad III, 349. de amore Annae ad IV, 682. de Anchisae ossibus ad IV, 427. et ad V, 81. vix alibi legit. Deinde omnia, quae pertinent ad adventum ipsum Aeneae vid. Serv. Aen. III, 394. VIII, 43. III, 256. et I, 382. [19]). Accedunt quae de Palladio et Graeco sacrificandi more Servius tradit ad Aen. VIII, 276. et II, 166. et III, 467. Cf. Macrob. Sat. III. c. 6. Denique fra-

---

17) Serv. ad Aen. III, 349: „Varro Epiri se fuisse dicit, et omnia loca iisdem dici nominibus, quae poeta commemorat se vidisse."

18) Hinc emendanda sunt verba, quae statim sequuntur, id quod Lobeck. fecit in Aglaoph. p. 1241. sic: „Varro Humanarum II. ait Aeneam deos Penates — *deduxisse*" — nam *reduxisse* quod vulgo legitur falsam efficit sententiam.

19) In duobus fragmentis quae ultimo loco posuimus male scriptum est Varro *Divinarum* II., idque satis vetusto vitio, si quidem Mythogr. III. Maii cum verbis Servii ad Aen. I, 382. hoc ipsum „*Divinarum* II." repetit. Verum res ipsa postulat, ut in utroque loco „*Humanarum* II." reponatur. —

Digitized by Google

gmentum huius libri, quod ex Interpr. Cic. ad Orat. p. Sext. (Class. Auct. Coll. Vat. T. II. p. 187.) nobis innotuit, et quo Erechthei regis Athenarum filias virgines pro patriae salute immolatas esse narratur (cf. Lobeck. Aglaoph. p. 200.), qua societate cum reliquo huius libri argumento coniunctum fuerit, non ausim dicere. Atque haec postquam libro secundo narravit, libris qui hunc proxime subsequebantur origines tum urbis Romae,[20]) tum aliarum Italiae civitatum investigavit. exposuit de rebus antiquissimis Aboriginum, Oenotrorum, Sabinorum, Etruscorum, aliorum. Optimo enim iure huc revocaverim tantum non omnia ea quae ex Varrone de Aboriginibus Dionysius refert p. 11. Sylb. (cf. Niebuhr. H. R. T. I. p. 506.), de Oenotro Sabinorum rege Servius, de Massiliensibus Schol. Lucan. et Isidorus, de origine urbis Curium Dionys. p. 112., atque id genus alia. Denique commemoratis rebus gestis regum, ut Romuli ap. Dionys. p. 92., Numae, Servii ap. Festum, finem narrandi videtur fecisse descripta irruptione Gallorum. locutum enim eum esse in libb. Antiquitt. hum. de Gallis eorumque duce Brenno Lydus docet de Magistr. fragm. 74. res autem aliqua seriore tempore gesta a nemine ex his libris affertur. neque erat Varronis, saltem his libris, plura persequi.

De locis. Lib. VIII.—XIII.

Studium geographiae diu iacuit apud Romanos, ut Varro cum altero illo P. Varrone Atacino primi eius inter Romanos auctores recte habeantur. Hic enim M. Varro, de quo agimus, quam alacrem operam ac studium huic rei attulisset, inutilis esset diligentiae multis verbis demonstrare. Nam ut taceam quod omnes, fragmentis vel leviter perlustratis, facile intelligent, plerisque libris haud pauca contineri exempla admirabilis harum rerum cognitionis, quam non solum lectione, sed etiam diuturnis itineribus, tum huius ipsius artis tum aliorum munerum causa susceptis, (vid. Falster. Quaestt. Rom.

20) De initiis urbis Romae, ut Quintilianus testis est, singulari libro disseruit.

Digitized by Google

p. 221. Schneider. l. c. p. 219.) sibi comparasset; hoc unum est quod commoneatur, primum eum usum esse tabula, qua Italiae imago esset descripta. Edocemur hoc prooemio libri primi de re rustica scripti. videndi etiam quos in hanc causam convocavit Fabricius in Bibliographia Antiquaria p. 181. Libri autem aliquammulti, quorum argumentum in rebus geographicis positum erat, et quorum titulis Varronis nomen ascribunt haud raro scriptores veteres utrum fuerint M. Varronis, an Publii Atacini docti magnopere dissentiunt. In quam rem qui altius inquirere student, Wernsdorfium adeant, qui de ea re satis diligenter disputat in P. L. M. T. V.[21]) Fragmenta vero, quae quin Marci Varronis sint dubitari non potest, ita sunt comparata, ut Varronem manifestum sit navigationem Romanorum et commercia cum barbaris gentibus, potissimum Asiae et Africae, promovere et amplificare voluisse. Huius enim naturae libri nonnulli fuerunt, quorum tituli cum fragmentis aliquibus memoriae traditi sunt. ut de Ora Maritima a Servio, Litoralia a Solino (cf. Wouwer. Polymath. c. 15.), de Aestuariis a Varrone ipso. quibus inscriptionibus non libros singulares, sed unius operis singulas partes denotari meum certe iudicium est. *Ephemeridem navalem* dico *Cn. Pompeio missam.* (Ed. Bip. p. 252. sq.). Quod ne temere pronuntiasse videamur, age breviter indicemus, quibus argumentis freti fecerimus. Primum enim scripsisse Varronem Ephemeridem non unius sed plurium librorum non negabis, ubi eam a Vegetio *libros Navales* vocari cognoveris, id quod mox docebitur. Deinde vero rerum in Ephemeride et in illis libris de Ora Maritima tractatarum tanta est similitudo, ut tardi et minus circumspecti sit negare, eiusdem rei duplex tantum hoc esse nomen. In libris enim

21) Propter nominum et studii aliquam similitudinem (scripsit enim etiam Varro Atacinus satiras, sed carens successu Schol. Horat. Serm. I, 10, 46.), non solum geographici sed etiam alii horum virorum libri haud raro confunduntur. Quem errorem ut vitaret doctus Gallus (Rivet) in Histoire Litt. de la France T. I. p. 108. deceptus prava scriptura in loco aliquo Plinii, celeberrimas M. Varronis satiras, Sesquiulyssem, Flaxtabulam, περὶ κεραυνοῦ, Publii esse male contendit.

Digitized by Google

de Ora Maritima disputavit de natura ac generibus ventorum. vid. Servius ad Aen. V, 19. et VIII, 710., ex quo simul intelligitur Senecam quae in Quaestt. Natt. de ventorum ordine a Varrone constituto, et de vento Vulturno tradit, ex his libris deprompsisse. quibus etiam alia quaedam addi possint. Porro idem Servius docet ad Aen. I, 108. et 111. Varronem in his libris locutum esse de navigationis periculis, ut de aris, quas nautae vocarent, et vadis. Quae cum ita sint, quid, obsecro, his rebus similius et magis conveniens est quam argumentum Ephemeridos navalis, quod auctor Itinerarii Alex. M. c. 6. verbis describit his: „Igitur si Terentius Varro Cn. Pompeio olim per Hispanias militaturo librum illum Ephemeridos sub nomine elaboravit, ut inhabiles res eidem gesturo (*aggressuro* Bernhardy l. c. not. 519.) scire esset ex facili inclinationem oceani, atque omnes reliquos motus aerios praescientiae fide peteret ut declinaret, cur ego Tibi — non facem praeferam, quoniam quantum ingenio minor, tantum hoc voto Varrone sum potior.“[22]) Confirmatur hoc aliquo modo fragmento a Nonio servato v. *autumnus* p. 71. hoc: „Varro Ephemeride navali: Etesiae diutius flaverant, et autumum ventosum fuerat.“ Quae verba Lipsius satiram Ephemeridem fuisse ratus in Var. Lectt. III, 21. hunc in modum mutari iussit: Varro Ephemeride: Navales (vel nivales) etesiae“ relq., id quod nunquam fecisset, si quae Itinerarii auctor refert ei innotuissent. — Paucis autem iis quae supersunt ex Ephemeridos libris dubito an optimo iure addantur fragmenta satis multa, servata illa a Laurentio Lydo. Hunc enim si non legisse, certe cognitos habuisse hos Varronis libros testantur verba quae ipse posuit in lib. de Magistr. I, 5. Ibi enim *οὐδὲ γὰρ ἀγνοήσας*,

22) Muratorius in Antiquitt. Ital. T. III. p. 968. sq. magnam partem huius Itinerarii describi iussit (id quod latuit Maium), sed ex libro MS. ab illo quo Maius usus est vehementer diverso. cuius rei vel hic ipse locus, quem Schneiderus primus ad hoc Varronis opus describendum adhibuit l. c. p. 226. exemplo sit. Sunt enim verba ibi haec: Igitur si M. T. V. Cn. P. o. p. H. m. l. i. E. s. n. e. ut res externas eidem gesturo aperiret, ne is Oceani pericula peteret, atque omnes r. m. a. p. f. declinaret. Quantum“ —

Digitized by Google

inquit, ὁ Ῥώμυλος δείκνυται — Βάῤῥων τε ὁ πολυθυμαθέστατος ἐν προιμίοις τῶν πρὸς Πομπήϊον αὐτῷ γεγραμμένων. Quibus verbis quominus alterum illum librum quem Varro Pompeio de Senatu scripsit putemus significari impedit, quod Gellius narrat Noctt. Att. XIV, 7. sq.[23]) Iam vero cum eam fuisse huius libri indolem et consilium cognoverimus, ut nautae librum tenerent, ex quo qua ratione maris periculis occurrendum, et quid in navigando observandum quidve vitandum esset discerent, vel ut Itinerarii auctor ait, „inclinationem oceani reliquosque motus aerios *praescientiae fide* declinarent," quid tandem aliud in tali libro quaesieris quam *prognostica*. Neque enim alius generis sunt quae Lydus ex Var-

---

23) Mirum tamen videri possit Varronem in prooemio Ephemeridos navalis de Graeca linguae Latinae origine disputasse. Spengelius ad Varron. Ling. Lat. p. 7. sq. non tam hac causa permotus, sed alias rationes secutus, eam proposuit sententiam, ut a Lydo librum de Origine lingae Latinae (Priscian. p. 556. Putsch.) nominari diceret, qui totius operis de Lingua Latina compositi fuisset primus, et ad Cn. Pompeium missus. At etiamsi temporum ratio hanc sententiam non refutaret, vix cogitari liceret Varronem ad Cn. Pompeium aliquid de lingua Latina scripsisse. Quas difficultates removendi fortasse ratio erit haec. Pompeius Grammaticus duobus locis libros Varronis ad Atticum missos commemorat (vid. supr. p. 10.), atque ex iis narrat, quot litterae olim fuerint Romae, earumque numerus quorum virorum ope creverit. quae qui ex libro de Origine linguae Latinae scripto contenderit esse, probabilem sane proposuerit sententiam. Atqui haec, quae ex Lydo ascripsimus, eidem libro deberi non solum res suadet quae narratur, sed etiam Lydus ipse indicavit. quod quominus primo obtutu intelligi posset impedimento fuit magna negligentia, qua librarii in Laurentii libro describendo versati sunt. Scripsit enim ille ut opinor: τῶν πρὸς Πομπώνιον γεραμμένων. Idem igitur liber, qui primus fuisset totius operis de Lingua Latina, vocatur a Prisciano *de Origine lingae Latinae*, a Pompeio Gram. *ad Atticum*, a Lydo πρὸς Πομπώνιον. quo omnia bene concinunt, quamquam de Pompeii notationibus aliter statuit Schneider. et Mueller. ad Ling. Lat. p. 264. Cui coniecturae si calculum adieceris, etsi detrahetur libris Ephemeridos fragmentum illud ex Lydo, nihilo tamen minus stabit sententia quam propositurí sumus.

Digitized by Google

rone annotavit, ut de Menss. IV, 13.: *τῇ πρὸ δέκα ὄκτω καλενδῶν φεβρουαρίων ἀνεμομαχίαν ὁ Βάῤῥων λέγει γίγνεσθαι.* et IV, 87. *Νώναις ὀκτωβρίαις ὁ Βάῤῥων ἐν ἑσπέρᾳ τὰς πλειάδας ἀνίσχειν καὶ Ζέφυρον πνεῖν, εἶτα καὶ Λίβα πρόλεγει.* cf. IV, 35. 38. (pag. 202. ed. Roeth.) 84. 91. Quae cum sic se habeant, longius etiam progredi licet, ut Varroni totam illam Ephemeridos partem, quae prognostica continebat, reddamus. Ex eo enim quod inde a priscis temporibus observatum est, quid quibusque stellarum motibus significaretur, quidque unoquoque die eventurum esset, natum est diarium illnd, quod Ptolemaeus et Laurentius Lydus servarunt, et cuius cum aliis Varro auctor perhibetur. Nam Lydus postquam in libris de Ostentis per omnes omnium mensium dies quid unaquaque re significaretur enumeravit, haec subiicit: *καὶ ταῦτα μὲν ὁ Κλούδιος ἐκ τῶν παρὰ Θούσκοις ἱερῶν πρὸς λέξιν, καὶ οὐκαὐτὸς μόνος, ἀλλὰ μὴν καὶ Εὔδοξος — Βάῤῥων τε ὁ Ῥωμαῖος* reliqua. pag. 357. Hinc igitur etiam est quod fragmenta nonnulla eorum, quae ex libris de Menss. enotavimus, iterum legantur in hoc diario. Quae si recte a nobis disputata sunt, vel sponte intelligitur, ea quoque Lydum in his libris legisse, quae ex Varrone in libris de Ostent. pag. 37. rettulit. quae cuius generis fuissent ex Plinio disci N. H. II, 36. sq. et Appuleio de Mundo Hasius annotavit. Ergo Ephemeris navalis cum talis fuerit, qualem descripsimus, vix est quod metuamus, ne quis obloquatur pronuntiantibus nobis, libros Ephemeridos eosdem esse atque Navales.[24]) Vegetius enim quae de libris Navalibus protulit ita sunt comparata, ut ipsius Ephemeridos partem ab eo describi continuo intelligatur. dicit autem lib. V, 11. haec: „Prognostica tempestatum signa, quae Virgilius in Georgicis divino paene comprehendit ingenio, et Varro in libris Navalibus diligenter excoluit...“ quae verba Ioannes Sarisberiensis Policrat. II, 2. et Vincent. Spec. Nat. IV, 41. sua fecerunt. Atque haec nunc quidem hactenus. causa enim nondum omnibus nominibus est confe-

24) Male Wernsdorf. l. c. hos libros Varronis Atacini esse dixit quos Schneiderus et Wüllnerus de Varrone Atac. p. 29. M. Varroni vindicarunt.

Digitized by Google

cta, et mox recurrendum erit ad eandem quaestionem. Interim ad Antiquitatum libros, unde degressi sumus, revertamur.

Iam Cicero l. c. „Nam nos, inquit, tui libri quasi domum reduxerunt, ut possemus *ubi essemus* agnoscere. Tu sedium, regionum, locorum nomina, genera aperuisti.“ Quae quo ordine Varro enumeravit, hodie propter fragmentorum paucitatem erui non potest. Pauca autem quibus horum librorum cognitionem iuvem haec sunt. Librum primum (Lib. VIII.) urbis Romae dedit descriptioni, id quod ex Festo v. *Septimontium* p. 267. ed. Lind. recte collegisse mihi videor. inventus igitur est locus permultis fragmentis, quae incertae sedis adhuc fuerunt. ut quae Servius, Marcobius, Festus et Lydus ex Varrone tradiderunt de antiquissimo urbis Romae nomine, de ficu Ruminali et de sepulcro Romuli Festus, de monte Palatino a Palantia Evandri filia dicto Servius, de foro boario et cupedinis Donatus, de aedibus Valerio in palatio tributis Asconius, et id genus multa. In describenda autem Italia, nisi nos coniectura fallit, id potissimum enitebatur, ut sententiam illam, Italiam esse terram omnium felicissimam, quam non solum ipse in libris de R. R. et Virgil. pronuntiarunt, sed quam omnes tenebant Romani, magna tum doctrinae copia tum exemplorum ubertate demonstraret. Indicavit enim quae unicuique regioni essent propria, et quae in quibusque Italiae partibus optima gignerentur (vid. Macrob. II, 12.), explicavit regionum nomina, ut Italiae, Latii, Campaniae, Oenotriae; enumeravit flumina (cf. Lib. X.), unde fortasse ἔτυμον Tiberis fluvii ap. Servium ad Aen. VIII, 330., lacus (Plin. N. H. III, 17.), aquas sulphureas, cf. Servius ad Aen. VII, 536. „Sane sciendum Varronem enumerare quot loca eiusmodi reperiantur in Italia.“ De urbibus autem et vetustissimorum populorum sedibus quamquam dubium non est, quin disputaverit et in libris sex quos de hominibus scripsit, et in his de locis, tamen utris in libris fragmenta singula sint reponenda, non habeo quibus diiudicem. Eodem enim iure vel Dionysius quae p. 11. Sylb. de Etruriae urbibus narrat his in libris legisse putantur, quo ad libros de hominibus scriptos illa rettulimus. Eandem in sedem fortasse revocanda

Digitized by Google

sunt etiam ea quae ap. Servium leguntur ad Aen. IX, 710. et Interp. Vet. ad Aen. X, 103. coll. Serv. ad Aen. VIII, 597. Neque certiora habeo proferre de fragmentis quae Plinius potissimum servavit, et quae ad externarum urbium, gentium, regionum, viarum pertinent cognitionem. Augustinus enim cum Varronem dicat Antiquitatum libros scripsisse non quantum ad orbem terrarum, sed quantum ad solam Italiam, sane inprimis magna quaestio est, haec utrum horum librorum fuerint an aliorum, et si horum, quanam societate cum reliquo argumento coniuncta fuerint.

De temporibus. Lib. XIV.—XIX.

Aggredimur locum totius quaestionis haud dubie difficillimum. tum quod studium temporum, difficillimum illud per sese, quia multiplex erat et mixtum ex variis artibus et disciplinis, ita periit, ut libro qui omnem cohaerentiam et circuitum harum disciplinarum monstraret servato nullo, admodum manca hodie harum rerum sit cognitio, tum quod Varro, qui eas praeter ceteros coluit, multos libros si non eiusdem, certe simillimi scripsit argumenti. quo factum est, ut fragmenta quae ex hoc genere litterarum supersunt suis quaeque libris reddere, cum multis libris convenire videantur, opus sit minime expeditum. Velut quaestionem de anno et die natali urbis Romae institutam, qua inprimis magnam doctrinae et diligentiae laudem nactus est, in quo libro persolverit vix quisquam affirmaverit. Etenim si quis doctam illam computationem in horum sex librorum aliquo locum habuisse contenderit, quis ausit repugnare? praesertim cum Cicero eos significet verbis his: „*Tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum — aperuisti.*“ Neque nos in eam sententiam transire quidquam dubitamus, licet vix habeas, quo is refutetur qui libros IV. de Gente Populi Romani dicat propriam harum rerum fuisse sedem. Versabantur enim hi libri toti in chronologia et rerum vetustissimarum historia, quam rem, etsi non pauca illa fragmenta docent quae a Popma collecta vidi (Ed. Bip. p. 235. sq.), tamen scriptores satis di-

Digitized by Google

ligenter in scriptis Varronis versati consentiunt, quorum testimonia subieci. Primum enim Augustinus de Civ. Dei lib. XVIII, 2, 2. „Erat enim, inquit, tempore illo (Abrahami) regnum Sicyoniorum admodum parvum, a quo ille undecunque doctissimus Varro scribens de Gente Populi Romani velut antiquo tempore exorsus est, ab his enim Sicyoniorum regibus ad Atheniense pervenit, a quibus ad Latinos, inde ad Romanos" relq. Quibus adde quae idem ibidem c. 8. refert. „Nam Varro inde exorsus est librum cuius superius mentionem feci, et nihil sibi ex quo perveniat ad res Romanas proponit antiquius quam Ogygis diluvium" et c. 13. „hae fabulae ad bellum usque Troianum, ubi secundum librum M. Varro de Gente Pop. Rom. finivit." Cf. Lactantius ad Stat. Theb. I, 173.[25]) et Arnobius adv. Gentes V, 8. Quibus excitatis testibus in oculos quasi incurrit, non alius libri fuisse quae Censorinus de Die Nat. tradit. c. 21. „Varro tria discrimina temporum esse tradit: primum ab hominum principio ad cataclysmum priorem — ἄδηλον —, secundum a cataclysmo priore ad Olympiadem primam — μυθικόν —, tertium a prima Olympiade ad nos — ἱστορικόν —. De tertio autem tempore fuit quidem aliqua inter auctores dissentio, — sed hoc quodcunque caliginis Varro discussit, et pro cetera sua sagacitate, nunc diversarum civitatum conferens tempora, nunc defectus eorumque intervalla retro dinumerans, eruit verum, lucemque ostendit, per quam numerus certus non annorum modo, sed et dierum perspici possit." Cf. Plutarch. Rom. c. 12. Ex quibus colligitur, Varronem in utrisque libris satis subtiliter disputasse de chronologia Romana, sed inter eos fortasse hoc discriminis intercessisse, ut Terentius expositis in libris Antiquitatum rei Romanae tum nascentis tum crescentis et senescentis temporibus, ne quid in hac quaestione desideraretur, libros de Gente Pop. Rom. scriberet,

25) Cf. Servius ad Virg. Ecl. VI, 41. Apparet horum librorum esse omnia quae Augustinus de Civ. Dei lib. XVIII. ex Varrone affert, quibus recte adduntur quae ap. Servium sunt ad Aen. III, 578., iterata a Mythogr. Maii III. et II. p. 104. et 166. ed. Mai.

Digitized by Google

quibus et res ab antiquissimis populis ante urbem conditam gestas persequeretur, et Romanae reipublicae tempora ad aliorum civitatum historiam componeret. Antiquitatum autem rerum humanarum huic quaestioni dati erant libri XVI. XVII. et XVIII., si quid ex tenuibus fragmentis suspicari licet. Fortasse etiam lib. XIX., utpote qui ultimus esset eorum qui de temporibus erant. Popma enim quae huc referri iussit tantum abest ut suo sint loco posita, ut tum quae Gellius Noctt. Att. XI, 1. de vocabulo *multa* tradidit, ad lib. XXI. pertineant (sic etiam Mueller. ad Ling. Lat. p. 69.) tum quae idem l. c. I, 25. ex libro Antiquitatum qui fuisset de bello et pace esse dixit, ad sex postremorum aliquem sint remittenda. In illis igitur libris legebatur olim celeberrima disputatio, qua singulari adhibita doctrina et curiositate computandi eruerat, Romam esse conditam Ol. VI, 3. a. d. XI. Kal. Mai. Cf. Scaliger Emend. Temp. p. 862. Schneiderus in Indice ad Scriptt. R. R. v. Palilia. Neque vero diem natalem urbis Romae invenisse satis erat, immo Varro, adiuvante disciplina Tusca,[26]) iisdem litteris exitum imperii Romani saeculo secundo et decimo futurum esse prodidit. vid. Censorin. de Die Nat. c. 17. Verum haec et his similia partem tantum totius disciplinae efficiebant, eamqne posteriorem. Varro enim scribens de temporibus priusquam eo perveniret, ut quae series esset rerum ab Romanis gestarum doceret, viam ingressus disserendi quam et natura rei describendae postulabat, et quam alii quoque viri earundem rerum studiosi secuti sunt, multum operae et temporis in eo consumpsit, ut dierum, mensium, annorum, rationes, genera, causas aperiret, siderum ortus et occasus, lunae vicissitudines, tempestatumque varietates diligenter observatas annotaret. Fecit autem hoc libro XIV. et XV. quorum librorum prior, nisi nos coniectura fallit, est is, quem Gellius de diebus fuisse dixit. Atque recte nos argumentum horum librorum descripsisse, fragmenta, licet paucissima sint, compro-

26) Cf. Suidas v. *Τυῤῥήνιοι*, et quae idem v. *Σύλλας* refert, quae ex Plutarchi Sylla c. 7. desumpta esse observavit Wesselingius ad Diod. T. II. p. 646.

Digitized by Google

bant. Nam praeter ea quae Gellius agens de rationibus diem finiendi variis apud varios populos ex his libris in Noctium Atticarum librum III. c. 2. transtulit, huc pertinere videntur quae de mensium nominibus Censorinus de Die Natali c. 22. ab Varrone mutuatus est. Etiam tria verba *fros*, *foenum*, *messis*, quae teste Charisio in libro XV. legebantur, dubito an testimonio esse possint, Varronem ibi de temporum vicissitudinibus egisse, quibus res agricolis peragendae astrictae essent. Quodsi hi libri eius erant naturae, ut talia, qualia diximus, in iis locum obtinerent, profecto est quod coniiciamus, Varronem omnes res quas in Ephemeridos parte tractavit ea, quae temporum rationes continebat, his in libris aut retractasse, aut integram illam Ephemeridos particulam huc transtulisse. Etenim cum Prisciani verba legerem (lib. VI. c. 14. p. 267. Kr.) „Varro Ephemeride: Postea honoris virtutum causa Iulii Caesaris, quia fastos correxit, mensis Iulius appellatus est —," et ipse magnopere miratus sum, et alios ubi legerint idem facturos esse puto, Varronem in Ephemeride, quam Cn. Pompeio per Hispanias militaturo misisset, aliquid narrasse, quod vel viginti annis post evenisse sciamus omnes. Nonne igitur probabili modo hanc dubitationem sic removebimus, ut sumamus Priscianum haec non legisse nisi in Antiquitatibus, Varronem autem in illis Antiquitatum libris integram Ephemeridos partem inserere maluisse, quam a iusta disputandi via discedere. — Cum temporum disciplina arctissimo vinculo coniunctae erant de vitae aetatibus quaestiones satis curiosae. Investigabant enim vitam quousque per naturam producere liceret, qui eius essent gradus, quibusque rebus significarentur.[27]) Ex qua arte multa servavit Censorinus. Videndus etiam Servius ad Virg. Aen. VI, 653. 694. VIII, 334. 388. cf. Lobeckius in Aglaoph. p. 315. Lecta autem fuisse haec in lib. XV. Antiquitatum rerum humanarum uno certe exemplo est quod demonstretur. Dio-

27) Huiusmodi res sumptas a Stoicorum et Etruscorum disciplina Varro saepius tetigit, ut in Lib. I. Imaginum, et in Tuberone. vid. Censorinus de Die Nat. c. 9. et Haverkampius ad Tertull. Apolog. c. 9.

Digitized by Google

medes enim p. 372. legisse se dicit in hoc libro verba Varronis haec: „*mortuos saliunt.*“ Atqui Censorinus c. 16. missis verbis, sententiam ex Varrone affert hanc: „Praeterea fieri potest, inquit, quod Varro refert, — Alexandriae inter eos *qui mortuos solent conservare* constare, hominem plus centum annis vivere non posse“ relq. Quibus notationibus nonne sic uti licet, ut a Censorino sententiam, a Diomede significationem libri, in quo lecta fuerit illa, traditum esse dicamus.“ Uterque enim dubitare non licet quin ex eodem loco hauserit.

Sed haec de sex libris qui de temporibus erant monuisse, et velut exemplis nonnullis quid in hac causa praestari possit indicasse satis est. Quibus unum hoc addam, his in rebus maiorem Varronis quam in ceteris fuisse auctoritatem. ita ut, cum hi libri diu perditi essent, quae aut ipse observasset, aut observata ab aliis libris suis subtexuisset, haereditario quasi more ab aliis scriptoribus alii acciperent. Insigni huius rei documento praeter alios multos esse potest scriptor anonymus, qui saeculo octavo libellum *de Computo* scripsit, quem Muratorius in Anecdott. Latt. T. III. divulgavit. Hic enim, Varronis nomine nunquam apposito, Varroniana doctrina nescio unde arcessita scriptionem suam multis locis exornavit. Atque haec postquam annotavimus transgressum facere libet ad Antiquitatum rerum humanarum partem ultimam, quam *de rebus* fuisse Augustinus docuit.

De rebus. Lib. XX.—XXV.

Accidit casu infelicissimo, ut horum librorum, qui res omnium gravissimas continebant, et caput quasi totius operis erant, tam pauca servarentur fragmenta, ut neque quid iis contineretur, neque quo ordine coniectura assequi liceat probabili. Idque hoc magis est mirandum, quo maiore erant auctoritatis res his litteris traditae. Vid. Gellius Noctt. Att. lib. XIII, 13. Liber autem qui Gellio et Macrobio dicitur de Bello

Digitized by Google

et Pace[28]) XX. videtur fuisse. Eiusdem libri partem non dubito quin tribuerit rei militari, ex qua Servius ad Virg. Aen. XII, 121. videatur tradidisse, Varronem in libris Rerum humanarum duo genera agminum constituisse, alterum quadratum alterum pilatum. Quibus facile addideris quae idem habet ad Aen. XI, 682. Philargyrius ad Virg. Georg. III, 313. Gellius X, 27. Servius ad Aen. XI, 502. In alio quodam libro de tribus illis civium ordinibus egisse videtur, ut ex hac quaestione forsitan sit quod Servius ad Aen. IX, 606. Varronem dicit in libris Antiquitatum rerum humanarum narrasse, equites a veteribus Flexuntas fuisse vocatos. Atque praeter haec non habui, quibus ea quae a Popma collecta sunt augerem. Nam ut satis multa supersint fragmenta, similitudine aliqua cum iis coniuncta, quae huc referre a scriptoribus veteribus iubemur, tamem non diligentis, sed inconsiderati esse recte iudicetur, si quis in hunc locum illa omnia coegerit. Particulae enim superstites ex tot descriptionibus institutorum publicorum, legum, magistratuum, eodem iure ad alios libros multos quo huc pertinere dicuntur. Scripsit enim Varro, ut uno certe exemplo rem transigam, Epistolicarum quaestionum libros, quibus antiquitates omnis generis (fortasse etiam temporum rationes, vid. Servius ad Virg. Georg. I, 43.) illustravit. In huius operis libro IV., ut Gellius refert XIV, 17., litteras collegit ad Oppianum missas, quibus restitueret quae in Commentario εἰσαγωγικῷ de senatum habendi ratione scripsisset, ad Pompeium illo quidem mittendo, sed, cum esset proscriptus ab Antonio, simul cum bibliothecis direpto. Qui libri quanto bonarum artium damno perierint Niebuhrius docuit in H. R. T. III. p. 50., cui tamen illud dubium videri non debebat, scriptas esse has litteras post annum U. C. 707. Atque haec quidem dicenda erant de libris Antiquitatum rerum humanarum.

Libri autem Antiquitatum rerum divinarum, quamquam maxime idonei sunt ad Varronis voluntatem cognoscendam, quoniam in eo versabantur, quod ei praecipue cordi esset,

28) Hinc patet in Cic. Acadd. l. c. unam veram scripturam esse „*tu domesticam, tu bellicam disciplinam*“ — al. *publicam*.

Digitized by Google

ut sacrorum revocata dignitate rempublicam a pernicie vindicaret, eos ne qua par est diligentia pertractemus, angustis quibus hic libellus circumscribendus est finibus prohibemur. Verumtamen unum hoc reliquum est, ut quando et qua ratione tam praelarum et multum lectitatum litterarum opus interierit demonstretur. Quam rem etsi animadvertimus maiorem esse, quam quae ab iuvene exilis tantummodo lectionis laudabili modo persolvi posset, tamen quae in via quam percurrimus sese nobis obtulerunt notatu haud indigna hic subiicere quam celare maluimus.

De tempore quo scripti fuerint hi libri probabilia disputat Schneiderus l. c. pag. 230. et quanto studio et assiduitate quantaque doctrinae quae inesset admiratione per quinque saecula lectitati sint, vix est quod post tot scriptorum veterum notationes hic illic per hanc scriptionem dispersas, singularibus confirmemus testimoniis. Veluti Gellius XIX, 14. „Varronis, inquit, monumenta in frequenti usu ferunter.“ Cf. Sidonius Apollinaris Ep. II, 9. quem manibus suis aliquos Varronis libros trivisse constat ex Ep. VIII, 6. Verumtamen haud scio an hoc ipsum quo Sidonius vixit saeculum, aut quod secutum est, his libris fuerit exitiale. Novissimus enim scriptor, quem certum est oculis suis volumina Antiquitatum inspexisse, Priscianus est. Namque omnes qui vivo Prisciano et post vixerunt, etsi saepenumero ad Varronis se contulerunt auctoritatem, tamen exploratum habeo, Varronis volumina non ipsos evolvisse, sed, viam ingressos nunquam non tritam, cum ipso Varronis nomine ex aliorum libris deprompsisse, quibus suos exornarent. Exemplo huius rei minime dubio sit Laurentius Lydus. Is enim saepenumero eorum quae narrat testem vocat Varronem, quid quod ipsas Antiquitates interdum nominat, quamquam ipse confitetur, se hos libros nunquam vidisse. de Magistr. fragmento 74. — *ὡς Φενεστέλλας καὶ Σισέννας οἱ Ῥωμαῖοί φασιν, ὧν τὰς χρήσεις ὁ Βάῤῥων ἐπὶ τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἀνήγαγεν, ἐγὼ δὲ τὰς βίβλους οὔπω τεθέαμαι.* [28])

28) Noli putare Lydum *τὰς βίβλους* Fenestellae tantum et Sisennae dixisse. Varronis enim libros si inspexisset, Fenestellam non in Varrone quaesivisset.

Digitized by Google

Potuisset autem libros Varronis Lydus inspicere, nisi iam tum aut perditi aut perquam rari fuissent. patuit enim ei, ut ipse testis est, aditus ad optimas bibliothecas. Admonet igitur hoc Lydi exemplum, ut cauti simus in diiudicandis seriorum scriptorum notationibus. Neque enim ego quemquam inveni, quem quae ex Varrone attulisset, ex ipsis libris Varronis scripsisse posset affirmari.[29]) Verumtamen sunt viri docti quibus aliter visum sit. Thorlacius enim (Prolusionum T. V. p. 107.) Ioannem Sarisberiensem Antiquitatum libros ipsos inspexisse dixit manifesto demonstrari Policrat. lib. VIII. c. 7. quo in loco Ioannes „testatur hoc, inquit, M. Varro, qui enumeratis quae in quibus Italiae partibus optima ad victum gignantur, palmam tribuit pisci Tiberino his verbis lib. XI. Rerum humanarum: ad victum relq.“ At cur Thorlacius Ioannem, qui ne unum quidem novum fragmentum ex Varrone servavit, haec ex Macrobii Sat. III, 16. hausisse negaverit, probabilem quidem causam non video: praesertim cum alteram sententiam, pronuntiatam illam iam a Meinersio, minime nesciret. Scilicet decepit eum fama mendax, quae etiam Petrarcham iuvenem Antiquitates Varronis vidisse vulgavit. Cuius historiolae primus, quod sciam, auctor est Mehusius in Vita Ambros. Travers. T. I. p. 216. Florent. 1722., quem sequitur Villoisonus in Anecdott. Indice v. Varro, et A. Maius in praefat. ad Ciceronis lib. de Republ. Perlectis autem Petrarchae verbis, quibus hoc tradi dicunt, sane mirari subiit, qui fieri potuerit, ut verba quae plane contrariam sententiam afferrent tam perverse hi viri interpretarentur. Dicit enim Petrarcha in Epistola ad M. Varronem (Epp. ad Viros Ill. Vet. 5.) haec: „Nonnullae tamen extant vel admodum lacerae horum operum (Varronis) reliquiae, e quibus aliquas pridem vidi, et recordatione torqueor summis, ut aiunt, labiis gustatae dulcedinis; *et ea ipsa praecipue Divinarum et Humanarum li-*

29) Cadunt haec in Cassiodorum, Martianum Capellam, Vincentium, Ioannem Sarisberiensem, alios, quorum nomina indicasse satis sit. Singulos enim singulatim persequi, et longum est et molestum.

Digitized by Google

bros, qui nomen tibi sonantius pepererunt, adhuc alicubi forsitan latitare suspicor, eaque multos iam per annos me fatigat cura, quoniam longa quidem et sollicita spe nihil est importunius in vita.“ His verbis, obsecro, numquid aliud voluit quam hoc: vidisse se olim reliquias quasdam operum Varronis, cuius rei memoriam causam esse, cur etiam Antiquitatum libros alicubi latitare suspicetur. Itaque non vidisse se ipse fatetur. Quas autem vidisse se ait reliquias, earum dubito an mentionem fecerit in Epist. ad Ioannem de Certaldum scripta (Epp. XI, 4.), in qua gratias egit Ioanni „pro libro quodam ex Varronis opusculis sibi misso.“ Opuscula autem nemo facile nominaverit Antiquitatum volumina. Non est igitur quod metuamus, ne quis ex hac parte occurrens quam proposuimus sententiam diluat. Sed aliud est quo quis affirmari posse putet, Antiquitatum libros saltem ad saeculum nostrae aetatis XI. perdurasse. Traditum est enim litteris neque illud ab vilis pretii scriptoribus, hoc est a Machiavellio et Cardano, Gregor. VII. Pontificem nobilissimum concremari iussisse omnes Varronis libros. Testem huius rei afferam Naudaeum, qui in Naudaeanis et Patinianis p. 37. haec dicit: Machiavell et Cardan ont dit que Gregoire VII. avoit fait brûler tous les oeuvres de Varron, qui fuit Romanorum doctissimus, *ne ex eius libris plagii posset insimulari divus Augustinus, qui suos libros de Civitate Dei totos ex Varrone descripsisset.*“ Fidem huius narrationis desiderat Daunou in Biograph. Univers. T. 47. in Varrone. causam autem probabilem, cur aut illi scriptores ipsi, aut ii quos secuti sunt, talia ementiti sint, haud facile protuleris. Sed utut est, inanis mihi quoque haec fabula videtur esse propter duas imprimis causas. Primum enim Gregorius si Augustinum a plagii crimine vindicare voluit, non Varronis sed Augustini libros igni mandare debuit. Quid enim? diu perditis libris Varronis, Augustinum omnes scimus doctrinam eam, qua libri de Civitate dei censentur, Varroni debere omnem. Nam ipse plagii certissimus testis est. Deinde vero, ut concedamus, Gregorium tam stolidae mentis fuisse, ut eum perversitas rationis quam

Digitized by Google

iniit fugeret, probabilia narrasse Cardanum et Machiavellium non aliter demonstrabunt qui alteram illam tenent sententiam, quam si assiduos tum quoque fuisse homines in his libris Varronis docuerint, eorumque raritatem, quae Lydi temporibus obtinuit, incuria saeculi septimi, octavi[30]) et noni non auctam esse sed deminutam. Itaque iam saeculo sexto, ut mea certe sententia est, Antiquitates Varronis, perierant.

Quodsi quaeris qui factum sit ut libri Varronis, quem virum omnium temporum eruditi nunquam non admirarentur, tam cito interierint, eius rei aliam causam proferre non possum quam fragilem humanarum rerum conditionem, qua casui subiectae sunt omnes. Quem opus illùd perniciosum conficientem[31]) etsi non dubitamus quin adiuverit incuria hominum, fortasse etiam prava voluntas,[32]) Fortunam tamen gravissime in Varrone vim iniquam exercuisse imprimis magno documento est, quod in neminem scriptorum Latinorum plures recentioris memoriae viri docti operam atque voluntatem coniecerunt meliorem, in neminem huius studii fructus redundarunt exiliores. Nam laetis illis temporibus, quibus ardentissimo fervore immortalis memoriae viri studia humanitatis, id est antiquitatis, repararunt, in Varronem statim multorum animi convertebantur, magnique eum fecerunt Petrarcha, Poggius, alii. Deinde usque ad ea tempora quae nostris proxime antecesserunt, nunquam defuerunt viri, qui et ipsi multum operae collocarent in reliquiis librorum Varronis colligendis

30) Vid. Bernhardy l. c. p. 145. sq. cf. Auctor de Computo in Murafori Anecdott. Lat. T. III. p. 183.

31) Nam ut ne titulos quidem librorum a Varrone scriptorum hodie enumerare liceat, factum est casu infelicissimo eò, quod epistola Hieronymi ad Paulum XXIX. (T. IV. P. II.) maximam partem mutilata est. Leguntur enim ibi haec: „M. Terentium Varronem admiratur antiquitas, quod apud Latinos — innumeros libros scripsit, — — scripsit itaque Varro haec:
XLI. libros Antiquitatum.
IV. libros de Vita Populi Romani“...
reliqua desiderantur.

32) C. Barthius Advers. XXXVIII, 11: Sed superstitionum priscarum recensiones offenderunt monachum, quae etiam sine dubio causa est, cur Varronis scripta prorsus interirent.“

Digitized by Google

et emendandis, et adhortando alios in idem studium trahere conarentur. Fecit hoc Riccobonus, H. Stephanus, Popma, Turnebus, Barthius, P. Victorius, Muretus, Salmasius, prae omnibus autem est quod hic nominem Lipsium et I. Scaligerum. Videsne igitur quam adversa Varroni steterit Fortuna? Qui enim sunt fructus qui ex tot tantorumque virorum curis et adhortationibus Varroni venerint? Fragmenta Varronis collecta et emendata divulgare in animo erat Lipsio, erat Dousae, erat Haverkampio. Quod utinam Lipsio licuisset perficere! Audi enim quae ipse narravit in Electt. lib. II. c. 18. „Fragmenta scriptorum veterum, inquit, olim cum impetu et labore collegi, quae distinxeram classi quadruplici oratorum, historicorum, poetarum, miscellaneorum. Inter miscellos praecipuum Varronem posueram, atque haec non in meum solum usum sed publicum (cf. Var. Lectt. III, 25.), nisi visum aliter ἀφίλῳ cuidam φίλῳ, qui coeptum hoc omne meum turbavit non fraude sed furto turpi. — Ille enim praeter alias fraudes partem fragmentorum eorum e domo mea abstulit mala et tagaci manu. abstulit etiam una animum in coepto opere pergendi.“

Digitized by Google

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Horatii Carm. Lib. I, 28, versus 7.—fin. qui ab Archyta pronuntiari contendunt falluntur.

II.

Horatius Carm. III, 6. init. non dubito quin sic scripserit: „Delicta maiorum meritus lues...“ in explicando autem versu 4. noli intermissum ritum deorum statuas lavacro solemni purgandi causam putare nigri fumi.

III.

L. Cincium Alimentum de Verbis priscis scripsisse non est quod negetur.

IV.

M. Terentius Varro nunquam transgressum fecit ex Academia in Stoam, ut ratio fefellerit Muellerum in Varr. Ling. Lat. praef. p. V. sq.

V.

Servius Fuldensis quae annotavit ad Virg. Aen. X, 76. hunc in modum emendanda sunt: „Sed Pilumnus — qui propter pilum inventum appellatus est, Saturnus est. — — Pilumnum autem avum Turni ideo dicit, ut a divino genere nobilis esse videatur.“ vulg. Saturnus est omittitur et pro divino legitur vicino.

Digitized by Google

VI.

Servii verba ad Aen. II, 141. *sic scribe: „Bene medium tenuit omnia numina invocans, quae — —. Hos Varro certos deos appellat.“ vulg. nam ea numina, et certe.*

VII.

Ex antiquorum populorum maiora commoda quam ex recentium historia in institutionem puerorum redundant.

VIII.

Lamprid. Alex. Sev. c. 14. *lege: rerum memoria singularis, quam mnemonico Acholius ferebat adiutam.“ vulg. quam nemo nisi. Cod. Palat. nico.*

IX.

Varronis verba in Lingua Latina VI. §. 18. *mecum corrige: „Hinc crinis. capilli descripti quod finis videtur discrimen.“ codd. Hinc finis.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY,
BERKELEY

THIS BOOK IS DUE ON THE LAST DATE
STAMPED BELOW

Books not returned on time are subject to a fine of 50c per volume after the third day overdue, increasing to $1.00 per volume after the sixth day. Books not in demand may be renewed if application is made before expiration of loan period.

AUG 15 1929

50m-7,'29

Digitized by Google

YB 00629

569557

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

Digitized by Google

Google